



Chronicon chronicorum ecclesiastico-politicum

ex huius superiorisque aetatis scriptoribus concinnatum ; qua non modo pontificum, archiepiscoporum, abbatum, &c., set et doctorum armis literisque illustrium, dies natalis ... egregiaque eorum ... facinora ... breviter delineantur ...

Gruterus, Janus

Francoforti, 1614

Reverendo Clarissimoqve Viro Domino Andreæ Schotto, Societatis Jesv S.
P.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64659](#)

REVERENDO
CLARISSIMO QVE VIRO
DOMINO ANDREÆ SCHOTTO,
SOCIETATIS JESV

S. P.

LAM multi sunt anni, quod
summæ Nobilitatis ado-
lescentes, librum aliquem
subinde me præsente sibi
optarent, quo omnia,
in quibus opus est Chro-
nologiam, simul & semel congererentur; vt
sic vno obtutu inter peregrinandum me-
moriæ haberent subsidium perpetuum.
Cùm præ me ferrem, nunquam alicubi
adhuc editum esse quod sibi vouerent; sed
posse tamen simile quid vtcunque con-
cinnari, ex plurib. Scriptorum monumen-
tis: nō destitere iidem iuuenes, donec mi-
nutatim ipsis nominarem auctores quos
heic vides, nominis tui præscriptione, ho-

¶ 2



E P I S T O L A

nestatos; vir venerande. cui enim potius
hos commendem quàm tibi, siue cupiam
à pluribus legi, siue adeo emendari, exor-
narique? Triginta ferè sunt anni quod e-
gregiè versaris in omni genere scriptorum
Græcorum Latinorumque; sed hactenus,
ut interim non reiicias auctores nostri su-
periorisque sæculi; quos quali prosequaris
cura, testatur & Hispania, & Italia, à te illu-
strata, velificatione felicissima aliquot
per annorum lustra Europæum hunc Or-
bem circumambulante. Sanè persuasus,
æquè ista probanda, quibus titulus tuus
præponitur, quàm ea quæ ipse met in lu-
cem emittis, feci quod vides; cùm spe, sug-
gerenda per te his, si non meliora, at certè
nihilo peiora, quibus operi isti ultima ad-
ponatur manus, digneque tueatur voca-
bulum suum **C H R O N I C O N C H R O-**
N I C O R V M. Quæ heic modo digessi, vix
reperi post excussas plurium Bibliothecas
vel coram, vel interuentu amicorum. Si
quæ alia sunt quæ ei accedere possunt, pro
eâ qua hactenus fuisti in literas literatosq;

affectio-



DEDICATORIA.

affectione, libens scio submittes per occa-
sionem, optimi patris, melioris aui filii
nepotibusque Aubriis: eo ipso demeritu-
rus non hos modò, sed & mundum hunc
humaniores. Tot profectò prodeunti-
bus libris in publicum, qui aut nouæ quasi
vitæ auspicium, aut sanitatem meliorem,
aut famam potiorem deberent R. P. An-
dreæ Schotto; facinus malum arbitratus
sum, eo etiam non vti arbitro in constitu-
endâ Historiæ omnigenæ Epitoma. Scis
autem nulli non rei suum esse principium,
præterea, ut usurpem Apuleiana, *baud quid-*
quam omnium esse, quod posse in primordio suè
perfici; sed in omnibus ferè ante esse spei rudi-
mentum, quam rei experimentum. Spero ta-
men non omnino vituperandam tibi pro-
miscuam scriptorum istorum congeriem.
Quippe auspicatus à natuitate Salua-
toris nostri, omnia diuisi in Ecclesiastica
ac Politica. Et quia gens mortalium ante
Iesum Christum, alia omnia sequebatur
circa religionem quam quæ debebat, pri-
mum ferè locum dedi Theatro conuersio-



E P I S T O L A

nis Gentium, quamuis id ipsum scriptum pro huius etatis eruditione accurata, vide-
ri queat commatis pro tritioris. Præterea cum nihil perennare potest in rerum na-
turâ, sine disciplinâ & Inspectoribus; exhi-
bui Notitiam Episcopatum Orbis Chri-
stiani; quem in sequitur deinde Catalogus
Pontificum Maximorum, vnaque Cardi-
nales ab ipsis creati. Locum habet deinde
Epitome de Archiepiscopatibus atque E-
piscopis Germania; adiecتو specimine eo-
rum, qui Ecclesiis præfuerunt in Hispaniâ,
Gallia, Italiâ, &c. de quibus solis integer
constitui posset commentarius, si ea quis
esset felicitate, ut nomenclaturas vniuer-
sorum singulorumq; eruere posset. Conti-
nentur altero tomo Ordines Religiosorū,
eorum origines ac progressus: nec eorum
tantum qui se pacis artibus inuoluunt, sed
qui manu armatâ Equites pro Religione
nostrâ strenuè pugnant in quemcumque
hostem. Proxima ab his est Enarratio con-
ciliarum; cui adsidet Hæreticorum o-
mnium usque ad exulceratum istud sæcu-
lum



DEDICATORIA.

Ium nostrum elenches: quod sanè tangi
noluit Typographus, ita nimis anima-
tus, ut neminem cupiat offendere, deme-
rei potius quemlibet; tanto quidem
magis, quoniam contrario iacturam suam
suo sibi querere videretur iumento; ex-
clusurus scilicet non vñâ ditione merces
has suas. quo malo quid opus? Quin po-
tius eorum loco repræsentauit nobis Bi-
bliothecam Philosophorum, Patrum,
Scholasticorumque, quæ non contenta
indicare tempus quo ferè vixere, adiicit
verbulo quid & scripserint. Claudit
horum agmen dies natalis emortualisque
plerorumque huius superiorisque ætatis
literis armisque illustrium, vñâ cum
Calendario Ecclesiastico, item Marty-
rologio Romano. At tertium volumen
complectitur Cæsares, Imperatores, Re-
ges, Tyrannos, Romanos, Græcos, Fran-
cos &c. ita quidem ut non solùm præ-
se ferant quo die ad imperium perue-
nerint, sed etiam quo nati, quo con-
jugati, quo denati. Hos excipiunt Reges



E P I S T O L A

totius ferè Orbis: certè vniuersi Europæi,
item Sarracenici, & Æthiopici. Intermixti
istis Electores, Palatini, Saxones, Brande-
burgici, nec non Principes Reipublicæ
Venetæ. Ab illis incipit ordine Alpha-
betico ingens Index genealogicus Re-
gum, Principum, Ducum, Marchionum,
per Europam insignium. Subsequuntur
dies natales, dies nuptiales, dies denique
emortuales, Regum, Principum, Ducum,
Comitumque, desumpti non modò ex hi-
storicorū scriptis, sed etiam ex Genethlia-
cis Manuscriptis. Quártus tomus insi-
gnitur Prodigiis, Ostentis, Eclipsibus, Co-
metis, Terræmotibus, Inundationibus,
Tempestatibus, aliisque præter naturam
factis. Idem etiam habet per integrum
centenarium Personas Iudicii Cameræ
Imperialis; hoc est, Præsidum, Iudicium,
Aduocatorum, Procuratorum, Pedello-
rum, Nunciorumque nomina: quando vi-
delicet ad eam dignitatem peruererint,
quamdiu in ea permanserint, &c. Com-
pletebitur præterea Chronologiam Eccle-
siastico-



DEDICATORIA.

siaisticopoliticam rerum variarum pacō
belloque gestarum, ad annum hunc 1613.
inclusuē: quibus seorsim accedunt Annī
institutarūm toto orbe Academiarūm,
Ludorumq; Equestriū per Germaniam
exhibitorūm tempora: denique Nundī-
narūm aliquot per Europā celebriorūm.
Extra hæc , nihil mihi occurrit in rerum
naturā memorabile , quod isti florilegio
necessariō adjici debere videatur. de quo
tamen tu,vir eximie,iudicabis. totū e-
nim permittitur censuræ atque auctorita-
ti tuæ. Ut vt fuerit,Aubriorūm conatus ac
studia benevolēti fauore promoue ac sus-
tine. Id autem fiet, si, vt pollicitus es, pro-
ximè, Rhetorica ac Crītica Dionysii Ha-
licarnassæi Latinè reddita, ipsis submisericis,
edenda hac æstate in 8. cum eiusdem Hi-
storicis, vno volumine. Nam quod attinet
ad obseruationum Humanarūm libros
quinque,in Philologos, Poetas, Histori-
cos, Oratores ac Philosophos, Græcos &
Latinos veteres, Iuuenantis ingenii tui
monumenta egregia, ea profecto statim

¶ 5

E P I S T . D E D I C A T .

vt nacti fuerint prælis suis meritò luben-
tesque committent : demerituri eo ipso
Rempublicam literariam omnem. neque
enim poterit proles hæc, nata tibi in vere
Iuuentæ, deterior esse à posteriore , quam
totus Orbis excipit, amat, colit, suo bono.
Nimirum cùm Aubrii in eo sint ne dege-
nerent à Patre, ab Auo, magno , inquam,
Andrea Wechelo , literas humaniores , &
quidquid circa ipsas versatur , pro medio-
critate sua ornare atque obseruare nun-
quam desinent: tu modò etiam, tuiq; simi-
les , laudabile eorum desiderium fauenti
lumine prosèqui ne grauere. Ita viuas, ita
valeas ! Scribebam præfestinè Francfurti
ad Mœnem, 1614. 25. Martii.

Johannes Gualterius.

SERIES

